



**Philippi Ecclesiæ Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiæ Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philip *<Eichstätt, Bischof>***

**Ingolstadii, 1617**

Reverendissimo Et Illvstrissimo Principi Ac Domino, D[omi]no Ioanni  
Christophoro Episcopo Eystettensi, &c. Jacobvs Gretservs Societatis Iesv.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

REVERENDIS-  
SIMO ET ILLVSTRIS-  
SIMO PRINCIPI AC DO-  
MINO, D.<sup>o</sup> IOANNI CHRI-  
STOPHORO EPISCOPO  
EYSTETTENSI, &c.

JACOBVS GRET SERVS  
*Societatis Iesu.*

**E**piscopatum Eystettensem, Re-  
uerendissime & Illustriſſime  
Antistes, duas potissimum ob-  
cauſas felicem & admiradum  
eſſearbitror, primò, propter ipſos Episco-  
pos, quorum plerique sanctitate, morum  
integritate, & pia ſollicitudine pro gregesibi  
commiſſo ſpectatissimā vitam egerunt,  
ut intelliget, qui Indicem historicum om-  
nium Praefulum Eystettensium percurrere  
voluerit, ut, proinde, S. WILLIBALDVS  
cum throno, pedo, & infula, probitatem

\* 2

quo-

## EPISTOLA

quoq; ad successores suos transmittere videatur, præcipuè pacis, & publicæ quietis studium, de quo Caspar Bruschius in Catalogo suo, hæc obseruatione prorsus digna scripsit; Laudans enim Albertum hoc nomine secundum Episcopum, ait, eum pacis, vt cæteros ferè omnes antecessores suos fuisse studiosissimum. *Quia insigni virtute,* inquit Bruschius, *longè excellit Episcopatus iste Aureatensis, omnes alios, quos habet universa Germania; soli enim Aichstadiani conservanda pacis & tranquillitat is publica,* semper amantes ac studiosi, nunquam arma sumpsi se, nunquam bella gessisse, aut ullius inquietis auctores fuisse leguntur.

Hinc etiam accidit, ut tempore grauisimorum schismatum, quæ Ecclesiam Catholicam diuexabant & lacerabant, Episcopatus iste, eiusque præfides immoti persistenterint, quasi in alio, non in illo orbe versarentur, qui tot & tam turbulentis turbis concutiebatur. Quid sub illis dissensionibus, quæ fuere inter Romanos Pontifices & Imperatores Henricum IV. Henricum V.

Fride-

## DEDICATORIA.

Fridericum I. & Fridericum II. nō passi sunt  
vicini Præsules, Archiepiscopi Salisburgen-  
ses, Episcopi Ratisbonenses, Passauenses,  
Frisingenses, Augustani? Quoties de sede sua  
deiecti, & in exilium pulsi fuere? Quoties  
rebus omnibus spoliati, dirisq; modis exaga-  
gitati? nec gregi percussis Pastorib<sup>9</sup> pax fuit;  
denuò enim veritas illius oraculi patefaci-  
enda erat: *Percutiam pastorem et dispergen-  
tur oves gregis.* Nihil simile de Eystadij Epi-  
scopis & Diœcesanis in superioris memorię  
annalib<sup>9</sup> reperio: sub vmbra S. WILLIBALDI  
inter colles suos, fluctus illos plusquam decu-  
manos declinarunt: Neq; ideo hoc euenisse  
censendum est, quod ad arbitrium Impera-  
torum sese fingerent & refingerent, ac cum  
illis Christi in terris Vicario repugnarent  
(hoc enim vel maximè discordias concire  
solet) sed quia Diui Tutelares è cœlo sub-  
ueniebant, & omnia singulari cura ad pa-  
cem & tranquillitatem dirigebant. Quod  
sivnus ad Henrici IV. partes contra Grego-  
rium VII. concessit; at pedem retulit; nec  
proditum est labe hac schismatica subdi-

\* 3 tos

EPISTOLA

tos fuisse contaminatos , & in diuersa stu-  
dia, vt sit, distractos.

Secundò: Eundem Episcopatū, cui Illus-  
*trissima vestra Celsitudo* præst felicem &  
admirandum prædico etiam propter sub-  
ditos, qui sub temporali ditione & Iurisdi-  
ctione Antistitum Eystettensium tenen-  
tur. Obeat quis Germaniam, historiasque  
euoluat, & inueniet, nisi fallor, Episcopo-  
rum quorundam subditos sæpius contu-  
maciter rebelles, qui armis ad officium re-  
ducendi fuerint ; imò qui sæpè nec armis  
ad obsequium reuocari potuerint, sed ex-  
cuso iugo inuercundè clamitauerint.  
**NON SERVIAM.** Et hoc etiam annis illis,  
qui funestas horum temporum sectas an-  
tecesserunt, quando noua ista *Prædicant-  
ium* Monstra, Germania nec viderat,  
nec nouerat. Nihil huius de Eystettensi-  
bus subditis litterarum monumenta tra-  
dunt. Quietè & pacificè sub sceptro VVil-  
libaldino conquieuerunt, & tum demum  
beatos se fore reputarunt, sua si bona nos-  
sent.

Iam

## DEDICATORIA.

Iam verò quis hæresi Lutherana, ex orto eorundem in auita fide, & in obedientia præsuli Eystettensi debita, constantiam satis dignis laudib' celebret? Finitimi circumquaq;, exceptis Boii conterminis, turmatim ad Lutheri Euangelium, quasi iam iam superis ex oris deuectum conuolabant, templa & monasteria diripiebant, sacerdotes malè prius acceptos, habitosque fugabant. Iam Lutherus pernitiosissimum simul & turbulentissimum illum librum *de falsò nominatorum Episcoporum statu* in vulgus extruserat, iam quorundam Episcoporum subditose adduxerat, vt à Dominis suis armata manu libertatem Religionis extorquere niterentur, tanto progressu & successu, vt hæc secta tandem integrros greges cum ipsis pastoribus deuorauerit. Casus vel potius interitus iste tristior est, quam vt eius amplificatione diu immorari libeat. Quid interea subditi Eystettenses? In tanta tam vicinorum, quam longè distantium ruina ne latum quidem culmum ab ea doctrina recesserunt, quam san-

EPISTOLA

sanctus WILLIBALDVS ad Almonium flu-  
um plantauerat , magisq;e copiosis la-  
crys, quām fluuij aquis rigauerat. Nam  
quod communis illa agrestium seditio,  
quam *rusticanam* vocant, aliquid turba-  
rum dedit, id potius exterorum in Episco-  
patum, spe opimæ prædæ, irruptentium,  
& ad defectionem vi & armis plebē VVil-  
libaldinam compellētium , sceleri adscribi  
debet. Sed facilis medicina fuit, quia bonæ  
mentes facilè ad bonam frugem reuertun-  
tur. Magna hæc laus est subditorum VVil-  
libaldinorum , & eò maior, quo secta Lu-  
theri suauior est, & sensibus amabilior, quę  
suauitas & amabilitas ingentem mox asse-  
clarum multitudinem attraxit. Intrepidē  
dico , si Lutherus rigidum aliquod Euan-  
gelium attulisset, vt cum Mahomete, per-  
petuam à vino abstinentiam; cum Monta-  
no, duas vel tres Quadragesimas & Mono-  
gamiam , seu vnas solummodo nuptias,  
& id genus alias viuendi asperitates priscis  
quibusdam Nouatoribus usurpatas, nescio  
num in Germania sectatores reperturus  
fuis-

DEDICATORIA.

fuisset, saltem tanto numero non reperif-  
set.

Meritò igitur, *Illustriſſime Princeps,*  
Celsitudo Vestrā sibi gratulari potest, quo-  
ties vel sola mente, vel etiam oculo in libris  
antecessorum suorum excellentem virtu-  
tem considerat vel leſtitat, suorumq; sub-  
ditorū erga Deum & antistites suos fidem  
ac fidelitatem animo recolit: Nimirū Dei  
in primis, tum Diuorum Eystettēſium mu-  
nus hoc esse existimo, quorum gesta iam  
temporis diuturnitate propemodum se-  
pulta, & in obliuionem fermè abducta,  
quod *Illustriſſima Celsitudo Vestrā* reno-  
uanda, litterisque denuò, quin Imaginibus  
non sine sumptu, illustranda curauit, piè  
omnino, & in cælites illos religiosè fecit.  
Nec ego hunc illustrādi laborem defugere  
volui, vel ea etiam cauſſa, quòd plus, quam  
dimidiā vitę meā partem, nempe trigin-  
ta quatuor annos in Diœcesi S. VVillibaldi  
Ingolſtadij peregi utinam plura, que forſan  
adhuc in Bibliothecis & Archiuis delite-

\*\*\*

ſcunt,

EPISTOLA

scunt, proferre, & historiam totam locupletiorem in publicum efferre licuisset, sed præstiti, quod potui. Eruent alij, si quid forsan vetustas reliquum fecit, cæptamque à me lucubrationem perficient. Ego hanc meam quantumcunque tandem alterius nomine ornare nolui, quam *Illustriſima Celsitudinis Veftra*. Si quis sciscitetur, cur id faciam; is fortè aptius sciscitaretur, cur id nō facerem, tot tamque iustæ cauſſæ suppetūt. Nihil dicam de societate nostra, quam constanti benevolentia *Illustriſima Celsitudo veftra* tot iam annis complectitur, spretis susurronum & obtrectatorum voculis; quamq; simul ac in cathedram VVilibaldinam ascendit, Eystadium accersiuit, & in Collegio VVilibaldo collocauit, iactis non ita pridem pro eiusdem Societas vſu magnifici futuri templi Fundamentis, certè commentatio de S. WILLIBALDO eiusque patre, fratre & sorore alteri non debetur, quām ei, qui sancto WILLIBALDO in throno successit; & hac successione, vt  
alij

DEDICATORIA.

alij plerique antecessorum, spiritum sancti  
VVillibaldi hausit; & felicitatem, de qua  
initio dicebam, huic Episcopatui esse quasi  
natiuam, perpetuat.

Quanquam alio etiam titulo tempo-  
ra Episcopatus *Illustriſſima Celsitudinis Veſtra* felicia censeo, quando intueor, oues  
perditas, quas in *Palatinatu Neoburgico*  
ab ouili VVillibaldino lupus truculentif-  
ſimus abstraxerat, paulatim ad caulas redi-  
re, ablegatis *Quinte uangelicis tubicini- bus*. O prosperum illum diem, quo *Illuſtriſſima Celsitudo Veſtra*, Monachij Sereniffimum Principem ac Dominum, Do-  
minum VVOLFGANGVM VVILHELMVM  
Comitem Palatinum Rheni, Ducem Ba-  
uariæ, Iuliæ, Cluiæ, &c. cum Serenissima  
Bauariæ Ducissa MAGDALENA, &c. con-  
nubio stabili iunxit, lectissimisque sponsis  
nuptialem benedictionem impertit. O  
fortunatiorem adhuc diem illum, quo cer-  
tus rumor ad nos venit, *Serenissimum illum*  
*Principem*, Catholicæ fidei professionem

\*\* 2                    publi-

EPISTOLA

publicè edidisse; iam tūc enim spei aliquid concipere poteramus, futurum, vt nouitate explosa, vetustas restitueretur, quod fit, & indies magis fiet, S. VVILLIBALDO, sancto VDALRICO, & S. VVOLFGANGO (ad quorū Dioceses Principatus iste pertinet) opem è cœlo subministrantibus, eorumque successoribus strenuè in terris allaborantibus, vt Hæresis, eò, vnde malum pedem attulit, citò referat. Mirabilis Deus in consiliis suis super filios hominum. Quod vix optare, necdum sperare licebat, en voluenda dies nunc attulit vltro. Noui quanto *Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ gaudio*, cui nihil tam est in votis, quàm vt sectis facessere iussis, vitiisq; extirpatis Orthodoxa religio, vitæque integritas floreant ac vigeant; & vt hoc sæculum nostrum, cetera sit vtcunque miserum, attamen hoc nomine felix reputari debet, quòd postquam hæreses in Germania extiterunt, pariter insignes passim Episcopi extiterunt, qui super gregem sibi traditum vigilantissimas excubias agerent, sollici-

## DEDICATORIA.

*licitudine non pigri, vt S. Pauli verba huc transferam, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sequentes. In his Episcopis, nisi Illustrissimam Celsitudinem Vestram numerarem, nimis rerum omnium imperitus essem. Deus Illusterrima Celsitudini Vestra ad diuini nominis sui gloriam, vel ipsos S. VVillibaldi in cathedra annos clementer concedat.*

Ingolstadij, pridie Kal. Augu-  
sti. Anno salutis M. D C.

XVII.



\*\*\* 3

LECTO-